









DISPUTATIO MEDICA  
*De*  
PHRENITIDE,

1648, 3

21

*Quam*  
D. O. M. A.

*Auctoritate & consensu Amplissimi  
Medicorum Collegii,*

SUB PRAESIDIO  
*VIRI Amplissimi, Excellentissimi, atq;  
Experientissimi,*

**Dn. JOHANNIS MICHAELIS,**  
Phil. & Med. Doct. Therapeut. P. P. Facultatis suæ  
Decani meritissimi, Academiae Decemviri, Collegii Utriusq;  
Principum Collegiati, ac Altenburgici Archiatri,  
Dn. Præceptoris ac Promotoris sui eta-  
tè venerandi.

*Publicæ disquisitioni subjicit*  
**FRIDERICUS Spieß/**  
Brunswicensis,

*Ad diem 13. Julii.*

Horis, locoque consuetis.

---

**LIPSIAE,**  
*Literis LANCKESCHIANIS.*  
Anno M DC XLVIII.





DISPUTATIO MEDICA  
DE  
PHRENTIDE

D. O. M. A.

JOHANNES WILHELMUS  
MEDICUS  
PRAESENTAT

TRIBUNICUS

ALBIS  
ANNO MDCXVII


1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10







## PRÆLOQUIUM.

 Vod apud Hippocratem *Epist. ad Damagetum* Democritus, de calamitoso vitæ humanæ statu conquerens, ὁ λθ, inquit, ὁ ἀνθρώπου ἡ γενετῆς νόσός ἐστιν. Id ipsum subindè miseræ humanæ Spectatores in actionibus suis experiuntur Medici. Neq; enim corpus solùm variis morborum insultibus, satis frequenter affligitur; sed & quod magis dolendum, divinus ille terreni domicilii hospes, plurimum ex corporis commercio mali, ceu per contagium quoddam virulentum, sibi contrahit, & in operibus suis variis turbatur modis; Unde infanda & multiplicia deliriorum genera, divinæ particulam auræ infestantia, quotidiè emergunt: Inter quæ, sive periculi magnitudinem, sive morbi ipsius vehementiam spectes, *Phrenitis* non postremum sibi locum vendicat. De cuius *naturâ*, & *curatione*, quùm in eâ non exiguæ difficultates sese offerant, paucis agere constituimus; si prius summum Hygiæ Parentem, atq; Autorem supplices rogaverimus, ut caligine obductas mentes nostras divini sui Spiritûs radiis illustrare velit, quò ipsi grata, humanoq; generi salutaria, dicere, ac meditari queamus.



THESIS I.

Dicendi initium *Nominis* consideratio dabit, cum optimum omnium dicendorum principium sit rei, quæ inquiritur, notio teste *Gal. 1. prorrh. comment. 1. t. 4.* Dicitur *Phrenitis*  $\delta\pi\acute{o}\tau\omega\nu$   $\Phi\rho\epsilon\nu\acute{\alpha}\nu$ , quâ voce, etsi Veteribus diaphragma fuerit denotatum, ut videre est apud *Gal. 5. de loc. aff. 4.* vel quod ad prudentiâ ipsi aliquid conducere videretur; (quam tamen sententiâ rectè irridet *Autor libri de morbo sacro*, inquit: *Præcordis fortuitum nomen, & per consuetudinem impositum est, non ex rei ipsius naturâ; neq; enim quam vim habeant præcordia, ut sapiant, vel intelligant, ego unquam novi;* vel, (quæ Etymologia magis ad rei naturâ accedit,) quòd musculo hoc inflammatione oblesso, statim mentis alienationem subsequi deprehenderetur, fortè quod  $\epsilon\gamma\gamma\upsilon\varsigma$  esset  $\tau\omega\nu$   $\mu\epsilon\tau\epsilon\chi\acute{o}\nu\tau\omega\nu$   $\Phi\rho\epsilon\nu\acute{\alpha}\nu$ , ut loquitur *Arist. 3. de part. animal. c. 10.* Potiori tamen significatione  $\nu\epsilon\nu$  seu  $\delta\iota\acute{\alpha}\nu\omicron\iota\alpha\nu$ , h. e. mentem intelligi, autor est *Gal. 1. prorrh. t. 4.*

II. Unde *Phrenitis* generalissima significatione omnem mentis depravationem teste, *Gal. loc. cit.* denotat. Sic enim ille: *Phrenitim mortales omnes eam affectionem appellant, in quâ mentem lesam esse vident, quam &  $\nu\epsilon\nu$  &  $\delta\iota\acute{\alpha}\nu\omicron\iota\alpha\nu$  vocant.* Quâ ratione etiam *Hippocrati*  $\kappa\omega\mu\alpha\tau\acute{\omega}\delta\epsilon\iota\varsigma$  & sopore gravi oppressi *phrenetici* appellantur, ut rursus *1. prorrh.* insinuat *Pergamenus* noster; & *Aretæo l. 5. acut. c. 1.* quod ex affectibus hypochondriorû oritur deliriû, *Phrenitis* dicitur. Paulò strictiori, generali tamen ad huc notione sumitur, quando omnè, quæ est cum febre, mentis turbatione significat, sicq; includit etiam eam, quæ per febrium, acutarum imprimis, vigores ex vaporum calidorum ad caput adscensu, cum intermissione affligit, qualis est, quam describit *Hipp. l. 3. Epid. agrot. 11. Pambrenitis* aliàs dicta. Specialius accipiunt vocem hanc, qui cum *Hipp. l. 3. de morb.* circa finem eam intelligunt, quæ continuato cursu, cum febre symptomaticâ ab initio usq; ad finem morbi suam agit fabulam, quâ ratione acceptam, ad duplicem causam refert *Galen. 4. de caus. puls. 14. Phrenitim*, inquit, præcipuè *gigni ex tenui meninge, & septo transverso, phlegmonem patiente.* Strictissimè sumunt, qui etiam septi transversî inflammationem, utcunq; affinem *Phrenitidi* ob rationem datam à *Gal. 5. de loc. aff. c. 3.* nihilominus tamen excludunt, vocem ad *cerebrum, & ejus membrarum*



narum affectum propriam restringentes. Quod faciunt Gal. cit. loc. & 2. de sympt. causs. c. 7. Paulus Aegineta libr. 3. c. 6. Trall. l. 1. c. 13. atq; recentiorum ferè pleriq; omnes.

III. Sepositis cæteris omnibus vocis hujus acceptionibus, Phrenitidem strictissimè dictam in præsentiarum considerabimus, quæ Avicennæ Persicâ voce *Sirsen*, id est, cerebri apostema, & cū adjectione *calidum*, ad differentiam lethargi, dicitur, teste Forest. in schol. ad observ. 1. de morb. capitis. Arabes *Carabutum*, hoc est, meningum inflammationem appellitant. Latini Græcum vocabulum retinent, ut patet ex Celso l. 7. c. 1. Latino-barbari phrenesin nuncupant; Germanis verò *das Hirnwütē/ Hirnsucht/ die Zobsucht* oder *rasende Hirn Sieber* vocatur.

IV. Accipitur autem in eo sensu sumpta Phrenitis dupliciter, vel pro symptomate, functionumq; principum læsione, quâ ratione Galeno 1. prorrh. s. 1. com. 1. definitur *dementia continua*, cū febre acutâ; vel pro cerebri dispositione pravâ, ad quam, ceu causam, delirium continuum, cum febre acutâ accidit, quo sensu Gal. 2. de sympt. causs. c. ult. definit, quod sit *inflammatio cerebri, & membranarū ejus, ex calidis succis progenerita*. Nos conjunctim sumentes ea, quæ per rei ipsius naturam inter se coherent, definiemus Phrenitidem, quod sit *inflammatio cerebri, & membranarum ejus ex sanguine calido & bilioso, in vacua ejus spatia effuso, ibidemq; putrescente exorta; calefactione, spirituum tam vitalium, quàm animalium continuâ, congenere delirationem, cum febre acutâ, excitans.*

V. Generis locum inflammatio obtinet, quæ vox, cum cum in veterum monumentis sit ἐν τῶν πλεοναχῶς λεγομένων, ne definitioni obscuritatem quandam pariat, ante omnia ab homonymia liberanda venit. Constat autem ex Galeno 6. Epid. s. 4. comment. 1. & 2. de fr. comment. 8. & 1. ad Glauconem c. ult. 5. Epid. 23. & 65. Veteres Medicos inflammationis nomen usurpasse pro omni partis ardore & accensione, etiam citra humoris affluxum: Quo sensu 2. ad Glauconem, c. 1. & 13. m. m. c. 1. idem primam hanc inflammationis differentiam esse docet, secundum quam modò humidam, modò siccam esse contingit; humidam quidem, quæ ex calidâ fluxione membrum occupante originem trahit; siccam verò, quando nullo humore influente, partium naturalis ca-



lor ignescit; *Φλόγωσι* Græci vocant. *Zacut.* l. 7. *prax.* c. 10. *membra fe-*  
*brim* dici posse censet.

VI. Siccâ quæ hujus loci non est, prætermisâ, *humidam* hic po-  
tissimùm intelligimus *ex humorum affluxu ortam*, quæ ipsa reverâ in-  
*flammatio* est. Neq; tamen ea uno modo sumitur: *strictissimè* capi-  
unt, qui nomen *generis* applicant illi speciei, quæ, ut loquitur *Gal. 2. ad*  
*Glauc.* 1. à *sanguine optimo ac mediocrem consistentiam obtinente. ad par-*  
*ticulam aliquã universim fluente, atq; ob multitudinem ibidem conculcato,*  
*oritur, de cujus generationis modo, Gal. de inæquali intemp.* c. 3. *Exqui-*  
*sita dicitur. Gal. 2. de cris.* c. 2. eamq; solâ inflammationis nomine digna-  
bantur Juniores pleriq; Galeni tempore Medici, uti constat ex *Gal. 1.*  
*ad Glauc.* c. ult. *Latius* paulò sumitur, quando omnem à calidis humo-  
ribus denotat, tumorem, ita ut etiam erysipelata & herpes comple-  
ctatur, teste itidem *Gal. 2. ad Glauc.* 1. & 2. *Latisima* deniq; est acceptio,  
quæ frigido humori, ut pituitæ, & melancholiæ, propter prohibitâ in  
parte ventilationem ac disensionem putrescenti, ibidemq; tumore  
excitanti, Phlegmones inductio tribuitur, quod rursum ex *Gal. 2. cris.*  
12. & 6. *aph.* com. 33. ostendi potest. *Nos mediam* hic tuemur *vocis ac-*  
*ceptionem*, ceu patebit ex iis, quæ de causis hujus affectûs erunt di-  
cenda.

VII. Sunt quidem ex Recentioribus nonnulli magni nominis Vi-  
ri, qui partim autoritate *Galenii*, partim rationibus satis speciosis in-  
ducti, existimant, inflammationem de essentiâ *phrenitidis* non esse;  
atq; inter illos familiam ducit *Jacchinus* in 9. *ad Almansorem* c. 7. &  
accuratissimus aliàs *Vallesius* l. 5. *controvers.* c. 12. sed nec *Galenii* loca id  
ipsum probant; quùm is potius excertè *phrenitidem* non solum ex  
calidis succis in cerebro impactis originè ducere, sed suprâ id phleg-  
monem in cerebro ejusq; involueris esse, constanter affirmet 2. *de*  
*Sympt. caus.* cap. ult. nec rationes adductæ tam vehementer stringunt,  
ut propterea communem ab omnibus ferè tam Græcis, quàm Arabi-  
bus receptam sententiâ deserere necesse habeamus; imprimis, quùm  
ex illorum doctrinâ illud etiam absurdum sequeretur, non esse verum  
quod *Hisp.* & *Gal. 1. prognost.* 19. asserunt, omne genus *phrenitidis* esse  
exitiale, quoniam pars princeps est affecta; cùm intemperantia sine  
inflammatione, non sit lethalis.

VIII. Occurrit quidem ingenioso effugio *Vallesius* loc. cit. intel-  
ligendos



ligendos esse hos Auctores de *phrenitide factâ & confirmatâ*; non tamen de eâ, *quæ in generatione & fieri adhuc est*, cum hæc ipsa nondum sit inflammatio, nec lethalis, facilèq; auxiliõrum applicatione corrigatur; Sed fundamentum responsionis ei præcidit ipse *Gal. 1. Epid. s. 2. comment. 73.* asserens, flavam bilem tunc *phrenitidem* inducere, cum in cerebrum, ejusq; membranas est impacta; quando verò profluit per venas, & antequam hæreat in cerebro, non *phrenitidem*, sed delirium, concitare. Quin imò, cum *phrenitis* inferi, & in factò esse, non habeant diversas essentias: (res enim facta & permanens morbus est, qui cum primùm incipit esse, habet totum esse simul, teste *Gal. 1. de loc. aff. c. 2. & libr. de morb. temp. c. 1. & libro de universal. morbor. temporib. c. 2.*) si essentia *phrenitidis* factæ & firmatæ consistit in inflammatione, in hac etiam incipientis essentiam consistere par est, ut rectè urget *l. 2. Hist. Med. Princ. quæst. 24.* quam ex professo huic controversiæ dedicavit nostri seculi medicorum princeps *Zacutus*.

IX. Cum ergo *inflammatio* hæc generalem *phrenitidis* naturam, & essentiam absolvat, ut contra juniorum dubitationes rectè videtur ostensum, facilè hinc quoq; patet, non unum, & simplex morbi genus constituere *phrenitidem*, sed eam esse compositam, & mixtam, partim ex intemperie calidâ & siccâ, partim ex meatuum repletionè, & hanc immediatè consequente tumore, partim ex unitatis solutione, quamvis tamen intemperies, præ cæteris ad nocendum in hoc affectu sit apta nata.

X. Explicatâ notione generis *Partis affectæ*, etiam ratio est habenda, quàm hæc duo simul sumpta omnem morbi absolvant definitionem, teste *Riol. gener. m. med. s. 3.* quod etiam *Philosophus* docet, accidentia omnia *περὸν τῆς δυνάμεως*, hoc est, subjectis quibus primò, & per se insunt, esse circumscribenda. Est autem ea *Cerebrum* non secundum *substantiam* propriam suam solùm, sed imprimis secundum involucrum utrumq; *duram* videlicet & *piam matrem*.

XI. Ipsam cerebri *substantiam* quod attinet, laterem hic lavant, qui eam, quòd mollis sit nimium, & ad extensionè, atq; intumescenti- am inepta, phlegmonem incurrere posse negant. Ut enim de eo nihil dicamus, quòd magni nominis Autoribus tumor non sit de essentia inflammationis, quod præ cæteris probat *Andreas à Cruce l. 1. Chirurg. c.*



*rurg. cap. 1.* certum est, ipsum cerebrum posse extendi & tumefieri, omnesq; adeo tumores pati, præterquam scirrhus, qui solis partibus duris sunt familiares, teste *Gal. 4. de prasag. ex puls. c. 9.* Unde *Paulus l. 3. c. 7.* scribit, *cerebrum inflammationibus adeo sepe intumescere, ut capitibus etiam sutura distendantur.*

XII. Quod etiam sensisse *Hippocratem* probat *Gal. in comment. ad aph. 50. sect. ult. ubi.* (dum eos, quibus cerebrum est sphacelatum, tri-  
dui intervallo interire docet dictator,) Galenus addit, per sphacelum gravem potius inflammationem intelligendam esse, quam nativi caloris extinctionem, quæ aliàs vocis sphaceli est acceptio, additâ ratione, quod ab hac, nulla salutis spes supersit, quam tamen Hipp. promittit, si tertium diem superârint.

XIII. Addimus nostrorum experientiam crebram, cerebri intumorem elevati, quod ut in *hydrocephalo* novum non est, ceu patet ex *Vesal. de corp. hum. fabr. l. 1. c. 5.* *Carolo Pisone de morb. ex colluvie serof. observ. 1. & 2* *Guilielmo Fabric. cent. 3. obs. 19.* Ita multiplici experientia comprobatum scribit *Spigel. de corp. hum. fabr. l. 10. c. 3. in capitis vulneribus per foramina cranii, quæ terebris, seu trepanis, fiunt, cerebrum cum dura membranâ ita sublatum esse, ut extra calvariam prominere, sedatâ inflammatione in suum pristinum rediisse locum.*

XIV. Ut jam nihil de variis mirandisq; abscessuum in cerebro historiis, plurimorum Auctorum observatione comprobatis, addamus, rectè hinc concludere licet, ipsum quoq; *cerebrum inflammari* posse, additâ ratione ad experientiam, quam habet *Gal. 5. sec. loc. c. 8.* ex eoq; rectè urget *Avic. 1. 3. tract. 3. c. 1.* quod omne, quod extenditur alimento naturaliter, etiam p. n. extendi possit, maximè cum sit. laxum & molle, patentibusq; præditum meatibus, per quos ubertim alimentum attrahit, & fluxiones excipit.

XV. Utcunq; autem *cerebrum* talem quandoq; patiatur inflammationem, & tumorem; longè tamen frequentius in *membranis* hæc consistit phlegmone, quod circâ partes densiores colligi citius ac magis obfirmari soleat humor tenuis, elabi laxiores, patentioresq; meatus; quæ fortè causa est, quod *Gal. 14. m. m. c. 1.* erysipelata magis circa cutem fieri scribit; quod bilis carnosas rarioresq; corporis partes, facilè elabatur, usq; dum circâ cutem firmetur: Quod non minus de *membranis* intelligendum, ceu compactioris substantiæ, & ad extensionem



tionem maximè idoneis. Unde *Platerus l. 2. de corp. hum. struct. p. 86.* notavit, pleuram adeò nonnunquam in tumorem attolli, à sanguine, per interiorem, exterioremq; ejus tunicam mediantibus venis, arteriisq; lato, ut decuplo sit crassior, quàm sana. Ex quo fortasse nata opinio plerorumq; Recentiorum qui (quòd frequentius meningis affici cernerèt, aut ferè semper, etiamsi inflammaretur ipsum quoq; cerebrum) Phrenitidem illarum phlegmone, omisà cerebri mentione, circumscripserunt.

XVI. Solent autem aliàs Autores quærere, utra meningum magis & frequentius inflammationem subeat. *Rhases l. 9. ad Almanso-rem, piam matrem* magis obnoxiam inflammationibus contendit; quòd mollioris substantiæ, & venis, arteriisq; quàm plurimis referta, hinc quoq; calidior existat: *Avenzoar* contra, & *Serapio duram* potius matrem in culpam revocant, tum quòd sit capacior, tum quòd magis distans à cerebro minùs habeat in tutelâ sollicitâ Naturâ: Nos *Rhases*, seu veriore[m] amplectimur sententiam, affligi frequentius tenuè, quàm crassam, quamvis hæc ab injuriis externis faciliùs, illa è contrario ab internis hanc phlegmonem contrahat.

XVII. Accedimus jam ad causam proximam, quam dicimus esse sanguinem tenuè, calidum & biliosum, è vasis suis, in quibus naturaliter retineri debebat, elapsum, & in cerebro, transpiratione interceptâ, putrescentem. Undè postea, multis vaporibus calidis per putredinem elevatis, mirum non est, si continua permistione & calefactione spirituû animalium delirium sequatur continuum; communicatq; calore mediantibus arteriis cordi, febris simul acuta, & symptomatica, seu immediati hanc causâ consequentes effectus, quibus aliàs Phrenitis, considerata, prout est symptoma, circumscribitur. Cæterùm de modo, quo phrenitis, tanquam inflammationis quædam species, producitur, si quis plura desideret, adeat *Gal. l. de intemp. in aqv. c. 3. & 2. de diff. febr. c. 11.*

XIX. Accusamus autem sanguinem tenuem, calidum & biliosum; Sanguinem dicimus, quùm nulla inflammatio fieri possit, nisi ex sanguine affluente, ut exertè docet *Gal. 2. de loc. aff. c. 9.* Addimus de industria eundem sanguinem esse tenuem, calidum & biliosum. Talis enim præ cæteris maximè ad caput fertur; dicitur autem biliosus, vel

B

respectu



respectu quartæ sanguineæ massæ partis, vel bilis excrementitiæ, quæ sæpius laudabili adhuc sanguini permixta ejusmodi turbas dat: Quod ipsum docet Hipp. libr. 1. de morb. in fin. Phrenitis, inquit, (quæ est perpetuum cum febre delirium) ad hunc se habet modum. Sanguis, qui in homine existit, magnam partem ad prudentiam confert, ut quidam verò dicunt, totum. Ubi igitur bilis commota, venas, & sanguinem subierit, ex solitâ compage, & motione sanguinem dimovet, & sero diluit, & percalefacit. Qui percalefactus, totum etiam reliquum corpus calefacit, & homini mens alienatur, neq; apud se est, propter febris copiam, & sanguinis non consuetam dilutionem & agitationem. Quâ ratione fortè intelligendus est Gal. l. 3. de loc. aff. c. 7. inquit, pro triplici causarum genere variari eandem; alia enim est, quæ fit à bile pallida, mitior sanè; quæ à flavâ bile fit, paulò est vehementior: ab adustâ quæ fit, omnium erit vehementissima. Cui consentiunt Paulus l. 3. c. 6. Trall. l. 1. c. 13. Unde Petrus Forestus l. 10. de cerebri morbis observat. 2. omnes humores, qui ad penetrationem facile sunt apti, quales sunt sanguis tenuis, bilis flava & adusta, hujus mali causas esse asserit.

XIX. Effunditur porro sanguis hic, & ex vasis à naturâ destinatis excidit, vel ob ejus copiam, vel ob acrimoniam & tenuitatem: Unde inter causas mediatas, & antecedentes huc pertinent omnia ea, quæ vel talem sanguinem in copiâ, vel qualitate peccantem generare, retinere, & ad caput movere possunt. In specie huc referuntur temperamentum calidum & siccum, maximè circa caput, etas juvenilis, teste Hipp. l. 3. aph. 13. ut & l. 7. aph. 50. item partium sanguinis elaborationi dicatarum temperies justò calidior, à quâ postmodum sanguis etiam calidior generatur, qui huic malo occasionem dat; Febris ardens; pleuritis; peripneumonia; quibus sæpe succedit consuetarum evacuationum suppressio; ut & mensium hamorrhoidumq; retentio; hamorrhagia narium stata & solennis inhibita.

XX. Inter causas externas & procatarticas sunt Aër calidus & siccus sanguinem adurens, calidorumq; succorum generationi quàm maximè accomodatus. Undè Alexander I. Problem. 76. refert in ætate potiss. rabie tentari canes, quæ nihil aliud est, quàm eorum Phrenitis. Sic cibi calidiores, & facile in bilem transcurrentes ut cepæ, porrum, allia, aromata; ita medicamenta calida, crebrius



cerbrius assumpta, huic malo occasione facile præbent. Hinc suspect quoq; est *confectio Anacardina*, ad conciliandam memoriam incautiùs & in majori quantitate exhibita, quòd sangvinem adurendo, hoc malum inducere possit. Inter *potulentia* cerevisiæ crassæ, vaporosæ, ac fortes, maximè caput petentibus adulteratæ; vina item generosiora crebriùs hausta, aquæ vitæ crebrior usus: Quâ de causâ Moscovitas, & Polonos præ cæteris Nationibus fieri Phreniticos observatum est à *Mercur. l. 1. de affect. capitis c. 15.*

XXI. Quòd etiã spectant inter reliquas res non naturales vigiliæ nimia, cogitatio frequens, & intentior, vehementiores animi perturbationes, ira, gaudium, quòd modũ excedit, exercitia laboriosa, & deambulationes corporis nimia, æquitationes, & unctiones diuturniores sub solis æstu, balnea item valdè calefacientia, aliãq; quàm plurima, quæ ad sangvinis calidi & biliosi generationem, & ad caput attractionem facere quoquo modo possunt. Pertinent huc etiam vulnera & contusiones, quibus sangvis extravasari & copiosius ad caput trahi potest.

XXII. *Differentias* quòd attinet, eas varii variè tradunt. Nos potiores desumemus à *Subiectis, Causis, & Effectibus* seu *symptomatibus*. 1. Ratione *subiecti*, vel *ipsa cerebri substantia* tumorem hunc præter naturam patitur; vel in *meningibus*, modò *durâ*, modò *tenui* matre residet phlegmone; quàm differentiam etsi parvifaciat *Galenus 2. de loc. affect. c. 9.* quòd ad usum nihil aut parùm facere videatur; quòd utrobiquè remedia syncipiti applicentur; nihilominus suam tamen utilitatem habet, quùm faciat ad prognosticon: Est enim affectus cerebro inflammato longè periculosior, quàm si membranis tumor contingat.

XXIII. Ratione *causarum*; *Alia* est à *sanguine*, maximè *tenuiore*, eam constituens, quæ fit cum risu; *Phrenitis sanguinea* eam ob causâ autoribus *appellata*, cujus exemplũ habet. *For. l. 10. obs. 6.* *Alia* à *bile excrementitiã* sanguini permixtã, quæ & ipsa secundum graduum diversitatem variat, qualem describit idem *For. l. 10. obs. 4.* Eam tripartitur *Gal. 3. de loc. aff. c. 7.* *Hanc ob causam*, inquit, *Phrenitis nonnunquam mitior est, quùm videlicet à bile pallida ortum traxit: interdum vehementior, quùm flava bilis eam peperit, atq; insuper nonnunquam demencia ferina, ex flava bile præassata suboritur.*

B 2

XXIV.



XXIV. *C*quod verò *Oribasius* ex pituitâ quoque deducat *Phrenitidem*, id vel nunquam vel rarissimè fieri censendum est, aut si omnino contingat, notham potius cum *Trall.* l. 1. c. 13, dicere licet. Ità quoque nec ex humore melancholico *Phrenitis* generatur, nisi fortè fiat ex ipsius cum bile mixtione; cuius rei exemplum est in uxore *Dealcis*, quæ laborabat delirio mixto ex *Phrenitide* & melancholiâ, interdum plurimum loquebatur, quod *Phreneticorum*, interdum verò nihil, quod melancholicorum proprium est, uti ex *Gal.* 6. *Epid.* 6. com. 86. constat.

XXV. *Ratione symptomatum & læsionis facultatum principum*: Aliàs *Phantasia* magis, reliquis internis sensibus non adeò vehementer oblæsis, afficitur; qualem describit in seipso *Gal.* 2. de loc. aff. In *Theophilo Medico* lib. de sympt. differ. c. 3. In eo, qui Athenis se se decumbere imaginabatur l. 2. motu musculorum: Aliàs *ratio* & *phantasia* simul afficiuntur, salvâ tamen memoriâ; de quo videtis *Valler.* com. ad c. 3. *Gal.* 1. de sympt. diff. & *For.* l. 10. obs. 3. Aliàs denique ipsa memoria imminuitur, aliquando planè aboletur & deperditur. Quod quando contingit, ratio ferè & imaginatio simul patiuntur. Estque hoc magis familiare inflammationi, quæ ipsam cerebri substantiam apprehendit, ut patet ex *Salio* de affect. part. c. 1. Facit autem hujus differentie etiam ex parte mentionem *Celsus* l. 3. c. 18. *Phrenitis*, inquit, tum demum est, cum continua dementia esse incipit, aut cum æger, quamvis adhuc sapiat, tamen quasdam imaginationes vanas accipit: perfecta est, ubi mens illis imaginibus est addicta.

XXVI. Ultimæ hujus differentie rationem quidam petunt à diversis sedibus, quibus ex Arabum placito facultates principes in cerebro discluduntur. *Imaginatricem* enim in anteriore, *Memoriam* in posticâ, *Rationem* in mediâ cerebri parte residere, credebant. Pro diversitate igitur sedium modò hanc, modò aliam, lædi sibi falsò persuasum habebant. Verum enim verò, quum falsæ hæc opinio innitatur hypothesi, sintque facultates ipsæ per totum cerebri corpus diffusæ, referendum potius id videtur ad tales cerebri dispositiones, secundum quas modò hæc, modò ista facultas vegetior, aut infirmior existit, irruentibusque causis, & injuriis magis minusque resistere potest. quare



Quare is, in quo infirmior est phantasia, si Phrenitis sit levior, imaginatione magis delirabit: in quo cogitatio magis est debilis, rationabitur præposterè: si delirium sit vehemens admodum, omnium functionum principum pervertentur officia.

XXVII. Aliis omisissis differentiis, ad *Signa* progredimur *diagnostica*, quæ vel ipsum affectum imminentem, præsentemve, aut etiam in augmento constitutum denotant: vel causam ejusdem arguunt: vel deniq; in exquisitam partis primariò affectæ notitiam nos deducunt: quæ ex triplici signorum fonte petenda erunt.

XXVIII. *Imminentis signa* potissimum hæc sunt: vigiliæ nimix & continuæ, somnus turbulentus & laborem faciens, ægri exiliunt, somniorumq; falsis imaginationibus detinentur, ut etiam se futura scire arbitrentur, & velint prædicere; accedunt obliviones, capitis gravitates, in occipitio indolescent, ut notat *Trall. l. 1. c. 13.* respirationem edunt magnam, sed raram, pulsus parvos, frequentes & duros; vultus, & oculi rubent, in unâ parte fixi hærent, lacrymas involuntarias fundunt, festucas legunt, quod de seipso testatur *Gal. 2. de loc. aff. c. 1.* linguam præ siccitate exserunt, &c.

XXIX. *Præsentem* omnia ea, quæ futuram indicabant etiam innunt, sed multò intensiora; præsertim verò perpetuus est mentis error, & deliriû, exiliunt, vociferantur, adstantes pugnis cædunt, febris continua, & acuta, lingua scabra, & sicca sine siti; Unde *Hipp. 3. Epid. s. 3. t. 44.* minimè siticulosos eosdem appellat, cujus rei rationem addit *Gal. comm. ad cit. loc. fieri non tam quòd illis multa humiditas in ore ventriculi affluat, quàm quòd quæ patiuntur, non intelligant, & stomachi facultatem appetitricem habeant, quæ extinguatur, edoctus id ipsum jam ante ab Hipp. aph. 6. l. 2. ubi, quicumq; inquit, dolentes parte aliqua, omninò dolorem non sentiunt, iis mens agrotat; sanguis interdum ex naribus effluit, urinæ vel planè supprimuntur, vel albidæ ab iisdem excernuntur, de quibus omnibus *Zacut. l. 7. c. 4. Trall. l. 1. c. 13. Mercat. l. 1. c. 11. Mercur. l. 1. de morb. intern. c. 15.* uberius consuli possunt.*

XXX. In augmento deniq; constitutam & inveteratam ex eo licet colligere, quòd ægri non adeò vociferentur, non feriant, vix manus attollant, tremuli sint, exarescente cerebro, & nervis, faciem habeant cadaverosam, & Hippocraticam, singultiant, pulsum obtineant rarum, & parvum, &c.



XXXI. *Ratione verò partis affecte alia sunt signa, quæ meningum inflammationem, alia, quæ cerebrum ipsum phlegmone obsessum denotant. Utrobique quidem adest febris continua: in meningum inflammatione magis infestat delirium, dolor perseverat, & sensus non abolentur, sed saltem depravantur, motus remanet, imò iidem sæpe robustiores sunt sanis, teste Mercur. l. 1. c. 15. quod Cassius l. probl. med. 6. ceu Methodicus, ad corporis totius stricturnam revocat. Gal. contra caliditati & siccitati 2. de diff. sympt. c. 3. adscribit; ac reliqua superius enumerata signa conspiciuntur. In inflammatione substantiæ cerebri primò quidem, cum sanguis per membranas affluit, ægrum apprehendit capitis dolor ingens, qui per occiput collo, & universæ spinæ communicatur; hinc sensuum tam internorum, quàm externorum amissio, ægriq; nihil molestiæ percipiunt, interrogatiq; non respondent, aut parùm, aut planè nihil loquuntur, de quibus pluribus Petr. Salius Divers. de affect. particular. c. 1. & Senn. in prax. l. 1. c. 20.*

XXXII. *Ratione causarum Phrenitidæ sanguineam indicant signa pleraq; mitiora, delirium cum risu, respiratio magna, temperamentum calidum, & humidum, facies rubicunda, maximè circa oculos, fluxus sanguinis è naribus, lacrymæ ex oculis profluentes, rerum rubrarum ob oculos obversantium imagines, lingua primùm aspera, & rubra, hinc nigra, &c.*

XXXIII. *Phrenitis verò biliosa omnia habet symptomata vehementiora, calor febrilis longè acrior & intensior, delirium vehementius, major corporis jactitatio, vigiliæ intensissimæ, oculi mobiles, lingua cum citrino colore aspera, modò nigra; obversatio rerum flavarum; excrementorum bile tinctorum excretio, garrulitas in sermone, animi iracundia, rixæ; sæpè etiam in verbera circumstantiù minus cautorum irrumpentes. Atq; hæc omnia ratione vehementiæ magis minusvè se produnt, prout bilis vel pallida, vel flava existit.*

XXXIV. *Quod si eadem bilis quoq; exuratur, notabile in symptomatibus incrementum, febris longè vehementior, & acutissima, in quâ extrema ferè frigent, interiora aduruntur, oculorum adest obscuritas, lingua planè exarescit, symptomata deniq; horrenda, & ferè dæmoniaca, saltûs, contentiones, rixæ; respiratio inæqualis, modò frequēs, modò tarda, & magna quod subinde respirare obliviscantur, mox urgente necessitate magnitudinem frequentiam compensent; pulsus*



pulsus item parvus, frequens; alvus ferè est constipata; urinæ supprimuntur; crura convelluntur, corpus hinc inde jactitatur, aspectus ob conceptam animi ferocitatem torvus, tetricusq; comparat.

XXXV. Atq; ex his non adeò difficile erit, *Phrenitidem* ab affectibus consimilibus distingvere. A *Paraphrenitide*, sive delirio febrili, differt; quòd hoc non sit perpetuum, sed in febrium declinatione cesset: at verò in verâ *Phrenitide* deliriũ est continuũ, ut propterea non parùm erraverit *Vallesius*, qui 3 *Epid. comment. ult.* existimat, delirium continuum non esse de essentiâ *Phrenitidis*, quoniam aliquando interrumpitur, ex falsâ loci *Hipp. de ægroto in Dealcis horto decumbente*, interpretatione ad id erroris præcipitium deductus, notante id egregiè *Peredâ l. 1. de cur morb. c. 5.* Distingvit etiam *Zacut. l. 7. prax. hist. c. 4.* *Phrenitidẽ* in eo à delirio febrili, quòd in *Paraphrenitide* delirium subito invadat, in *Phrenitide* contra delirium paulatim fiat, & semper ita, ut ejus generationem præcedant signa phrenetica; quùm propterea, quòd magnus sit affectus, magnam quoq; causam, & majus ad sui generationem requirat tempus.

XXXVI. A delirio, quòd insequitur *septi transversæ inflammationem Mercatorq; l. 1. c. 11.*  $\Psi\text{Α}\delta\text{o}\Phi\text{ρενίτις}$  dicitur, eò, quòd mentiatur propriè dictam, differt; quòd in eâ nihil in oculis conspiciatur, neq; sanguis è naribus stillat, respiratio sit inæqualis, & difficilis; quoniam pars longè propinquior organo primario respiratori dicato; calor præprimis hypochondria occupet, nec ita circa caput deprehendatur. Quâ de causâ autem à septi hujus inflammatione delirium æquè sequatur continuum, ac in *Phrenitide* legitimâ, controversum est: Sunt qui inflammato diaphragmate, statim cerebrum inflammatione obsideri volunt; quòd respiratio impeditâ, calor augeatur in thorace & corde, indeq; sanguis attenuatus, bilescens atq; æstuans sursum ad caput rapiatur, excitans ibidem inflammationem: Alii contra causam rejiciunt in analogiam, quæ est inter cerebri & diaphragmatis substantiam: Sed utriq; secundum *Laur. l. 9. hist. an. quæst. 4.* non leviter hallucinantur: Illi quidem, quòd aliàs accensis quoq; pulm. omnibus delirium semper insequeretur continuum; quia & difficilis redditur respiratio t. *Gal. 4. de loc. aff. c. 7.* & bilioso sanguine alitur pulmo eodem t. *l. 3. de usu part. 1.* Hi, quòd cum major analogia sit inter cerebrum & spinalem medullam, quam diaphragma, non tamen compertum



compertum sit, spinali medullâ obseâ inflammatione, insequutum delirium continuum. Verosimilior itaq; est sermo ipsius *Laurent. loc alleg.* qui duplicem concurrere causam arbitratur; connexionem scilicet, & societatem miram utriusq; partis per nervos insignes; deinde perpetuum diaphragmatis motum, vapores impetu ad cerebrum mittentem, & flabelli instar transmittentem. Solam autem nervorum sympathiam non sufficere, oris ventriculi inflammatio satis prodit.

XXXVII. A *Melancholiâ & Maniâ* maximè febris præsentia discernitur teste *Gal. 3. Epid. s. 3. comment. 45. & 2. de sympt. caus. c. 5.* adde, quòd in *maniâ* pulsus sit major, in *Phrenitide* contrà parvus, & creber, in *melancholiâ* adest quies, timor, & tristitia, fereq; in unâ aliquâ re lapsus; in *Phrenitide* verò vehemens motus, ferocia, saltus, & loquacitas, aliâq; ejus generis.

XXXVIII. *Prognosis salutis & mortis* est varia *Ratione generis* affectus naturâ suâ acutissimus, & exitialis est. *Gal. 1. Epid. s. 3.* maximè si vires sint dejectæ, quum prædebilitatorum desipientia pessima sint, *1. prorrh. s. 1. t. 8. totaq; salutis spes in inflammationibus internis in virium robore sita Gal. 10. m. m. c. 5.*

XXXIX. *Ratione subjecti* periculosius laborant quibus ipsa *cerebri substantia* est affecta, quàm si *membranae* solum phlegmonem patiantur ex *7. aphor. 70.* Inter *membranas* pia affecta, ut cerebro vicinior, venisq; ac arteriis refertior, majus malum denunciat.

XL. *Ratione Causarum;* quæ oritur à *sanguine*, minùs est periculosa; unde *Hipp. 6. aph. 53.* desipientias cum risu tutiores esse scribit; Deterior autem est ea, quæ insequitur *bilem;* maximè *flavam;* omnium pessima, & ferè lethalis, quæ *adusta* soboles existit.

XLI. *Ratione symptomatum;* exigua spes superest, si plures, vel omnes sensuum internorum functiones simul lædantur; Febris & delirium sint vehementiora; vigiliæ magis infestent; lingua contremiscat; rigor superveniat; qui semper est malus, nisi sit *Criticus*, ut est apud *Gal. com. 1. in lib. 1. prorrh. t. 13.* si alba subsequatur dejectio, cum bilis ad caput raptum significet, teste *Galen. ibid.* si æger festucas colligat, *Hipp. 1. progn. 23.* si nigra stilla, eaq; sincera è naribus effluat, quod tamen non perpetuum esse contendit *Horat. Augen. Epist. Med. l. 6. ep. 1.* Nulla ferè spes superest, si propter raptum bilis ad caput



caput urina sit tenuis & alba, de quo Hipp. 4. aph. 72. ubi Gal. in comm.  
nullum Phreneticum se vidisse servatum testatur, in quo talis apparu-  
isset urina, Convulsiones etiam supervenientes malū Gal. 2. m. m. c. 8.  
Unde stridor dentium, aut musculorum, in temporibus & maxillis,  
convulsio lethalem Phrenitidem arguunt, 2. progn. 1. & 1. epid. com. 2.  
2. 1. 53. Freqventes etiam permutationes quā maximè sunt pericu-  
losæ ex 1. prorrh. 1. 28. Malum etiam si urinæ involuntaria fiat excre-  
tio ibid. 1. 29. Nec bonum signum est, si antea furore perciti, mox  
quiescant, adeò, ut non animadvertentibus dormire videantur; quas  
obscuras propterea desipientias vocat Hipp. 1. prorrh. 1. 33. Maximè  
etiam lethale est, si in suparationem Phrenitis terminetur, quod pus  
intra membranam & cranium interclusum evacuationem non ad-  
mittat, ut monet Senn. in praxi. Quamvis tamen referat. Herc. Sax. cap.  
de Phrenit. se vidisse servatum, cui sanies erumpebat per os & aures.  
Tandem etiam, si Phrenitis in Lethargum aut Sphacelum tendat; uti  
testis est Gal. 6. Epid. s. 6. com. 8. & lib. de Commate, quorum prius, etsi ali-  
quando ex discutientium, quæ partes tenues evacuant, crassas relin-  
quunt, præpostero usu possit fieri; frequentius tamē ex incautā nimis  
refrigerantium applicatione contingit, quemadmodum hoc obser-  
vavit Christoph. à Vega Art. Med. lib. 3, cap. 6. citante Schenk. in obs.  
Med. lib. 1.

XLII. Ratione temporis exitus sive eventus; Phrenitis cum  
sit ex numero acutorum, similem quoque cum iisdem sibi præfixum ha-  
bet terminum, septimum videlicet diem, unde ea, quæ est acutissima  
etiam tertio die hominem jugulare potest, quod exemplo agroti 4.  
apud Hipp. 3. epid. s. 3. patet. Freqventius tamen tales Phreniticos  
quarto & quinto die exanimatos fuisse scribit Gal. com. ad loc. alleg.  
Extendi tamē etiam ad 23. & 24. diem pluresve, mutatā morbi naturā  
ex acuto simpliciter in acutum ex decidentia, ex plurimis observatio-  
nibus constat. Vid. Hipp. loc. alleg. 1. 83.

XLIII. Quoad modum exitus sive eventus; Aliquando ma-  
teria vitiosa sensim discutitur, & resolvitur, in naturæ robore, mate-  
riæ paucitate, ejusque minore fervore, & acrimoniā; Aliquando per  
crisin terminatur, nariū hæmorrhagiā largiore, teste Gal. 3. de cris. c. 3.  
hæmorrhoidū item fluxu, uti constat ex Hipp. aph. 21. l. 6 frustra id Gal.  
in comment. ad loc. alleg. ad melancholiam restringente, ut animad-  
vertit

C



vertit præ cæteris egregiè *Spigel. de Hum. corp. fabr. libr. 5. c. 6.* sudoribus copiosius erumpentibus, si die critico antecedit rigor 1. *prophet. 13.* alvi fluxu bilioso, &c. Aliquando in alium terminatur morbum, cum ægri salute, excitato abscessu, & derivatâ materiâ ad glandulas ponè aures, vel alias partes: Aliquando cum ægroti damno in aliû abit morbû, quod fit, vel quando in lethargum desinit, monente *Galeno. l. 6. epid. sect. 6. comm. ult.* licet contrariam habeat observationem *Zacut. Lusit. de praxi Med. admir. l. 1. obs. 13.* Vel in *Sphacelum* teste *Hipp. 7. aph. 50.* Sicut enim partes externæ inflammatione affectæ vehementi in gangrenâ abeunt; itâ aliquandò, etsi rariùs, interna, præsertim si principes sint, principium mortificationis patiuntur; uti loquitur *Zacut. in Prax. Hist. l. 7. c. 4. p. 91.* Vel deniq; in *Maniam*, quod maximè fit in eâ, quæ est à bile adustâ, quæ exindè ferè ad mortem terminari solet; quamvis Alexander referat sibi curatum ex atâbile Phreniticum. Deniq; in *hecticam febrem*, post sublatam Phrenitidem, introducto calore habituali docente *Rhas. 1. continent. tract. 1. cap. 3.*

XLIV. Accedimus ad *Curationem*, cui solidum præstruunt fundamentum *indications*, elicite secundum rationalem mendendi methodum; quarum *Curatoria* introductam intemperiem convenienti contrariorum usu alterare, & corrigere, materiam actu morbum inducentem, & in fluxionis termino jam existentem sensibiliber evacuare & derivare, insensibiliber discutere, & resolvere jubet. *Præservatoria* eandem antecedentis adhuc causæ rationem obtinentem, dum quantitate peccat. evacuare; dum qualitate, & fervore, alterare; dum motu deniq; & in fluxu consistit, jam jam ad partem ruitura, repellere, revellere, intercipere, derivare præcipit, habitâ semper ratione sedulâ & partis mandantis, & recipientis. *Mitigatoriâ* febrem, vigilias, urinæ suppressionem, aliaq; symptomatum urgentium rationem obtinentia debito modo respiciet. *Vitalis* deniq; legitimâ victus ratione institutâ, id efficiet, ne vel viribus nimium intenta morbum augeat, vel plus justò detrahendo, cum viribus vitam simul auferat.

LXV. Omnibus hisce scopis, atque indicationibus, sine quibus cæcis andabatarum more contra morbum pugnatur ictibus, ex triplici



plici *Chirurgia, Pharmacia, & Diata* satisfiet fonte. In iis  
*Chirurgia* suppeditabit *Vena sectionem*, præsidium certè genero-  
sissimum; quod non uni respondet indicato, ceu patet ex *Gal.* passim  
præcipuè tamen ex *lib. de sang. miss.* cum & sangvinem inutilem, &  
vel qualitate vitiosum, vel quantitate peccantem, evacuare, revellere,  
derivare, imò & refrigerare possit.

XLVI. Ne tamen, dum cruentam hanc morbo paramus vindi-  
ctâ, intempestivâ administratione & usu, nobilissimum hoc præsidii  
genus prostituamus, & Deorum manus ad armandam furiosorum  
temeritatem convertamus, videndum erit, ne viribus contravenien-  
tibus, aut omninò iis repugnantibus, quæ recenset *Gal.* tum alibi,  
tum *lib. 3. m. m. c. 21.* ad generosissimum hoc præsidii genus devenia-  
mus; Unde ratò, si Phrenitis sequatur febrim acutam, ad phleboto-  
miam erit cofugiendum, quòd & plerumque præmissa fuerit sangvi-  
nis evacuatio, & vires ferè soleant esse dejectæ.

XLVII. Videndum iâ super, ubi venæ sectionem convenire li-  
quet, ne in quantitate simus nimii, & ad *lipothymiam* usque evacue-  
mus, quod tamen *Rhasen* in phrenetico fecisse constat ex ejus *aph. lib. 3.*  
idq; approbat *Zacut. l. 1. de Med. Principum hist. p. 52.* minus tamen  
rectè; quùm relinqvendum potius aliquid sit symptomati vires aliàs  
satis dejicienti, teste *Galeno lib. 2. cap. 14. ad Glauco.* Nec enim pa-  
rùm virium dissipatur, ex vigiliis superfluis, irriqvietoq; totius corpo-  
ris motu & inedia, ut rectè inculcat *2 aph. comment. 28. Galenus.* Pau-  
lò tamen largiorem sangvinis detractionem *Phrenitis sanguinea* præ-  
biliosâ feret, asserente id cum ratione & consensu omnium *Capivac-*  
*cio l. 1. de affect. capit. c. 8.* Sin omninò copiosior evacuatio locum ha-  
bebit, partitis vicibus suscepta, minus nocebit prosternendo vires,  
magisq; revellendo conferet. Ne insuper invito Medico, inquietudo  
ægroti plus justò sangvinis thesaurum exhauriat, vulnuscule angustio-  
ris accurata deligatio, & obturatio, pice & medicamentis ex aloë cum  
albumine ovi, & pilis leporum combustis, præsidio erit.

LXIII. Habenda quoque *delectus* ratio, quùm aliam evacua-  
tio, aliam revulsio, aliam derivatio requirat venam: In *plethorâ* to-  
tius corporis commodissimè secatur *jecoraria*, aut *mediana*; sin mi-  
nor sit abundantia, *cephalicam* tutius aperimus; revulsionis etiam  
gratiâ



gratiâ quidam saphenam incisam commendant; quam tamen rejicit, ceu in loco remotiore sitam *Zacut. libr. 7. prax. hist. c. 4.* Derivationis gratiâ frontis venam rectè secari ex *Hip. 5. aph. 68.* colligitur, firmatur idem à *Gal. libr. de curat. per sangv. miss. c. 9. Paulo l. 3. c. 6. Tralliano l. 1. c. 13. & Avicenna 4. l. c. 20.* quod commodè fiet, si collum artificiosè fasciâ longâ constringatur blandè, ut vas attollatur, svadente id *Tralliano loc. cit.* In eundem finem venas narium quidam pennâ ad radicem multùm fissâ, & in stellæ effigiem paratâ aperiunt, de quo vide elegantem observationem ap. *Zacut. l. 1. prax. admir. obs. 2.*

XLIX. *Tempus* deniq; observabimus: Evacuationis & revulsionis gratiâ statim in principio morbi, dum adhuc in fluxu est materia, phlebotomia est celebranda, præmissio clystere, aut eo neglecto, si morbus & fluxio urgere videantur; in quo casu nihil, obstat, quò minus etiâ nocturno tempore, vena secari possit. Quæ verò derivationis gratiâ suscipitur sanguinis detractio, eam ex venâ frontis in morbi progressu esse instituendam, præmissis præmittendis, cum sit remedium locale ex *Gal. l. 6. Epid. s. 2. comment. 9.* extra omnem dubitationis aleam est positum.

L. Quod si causæ prægnantes generosissimum hoc præsidium respuant, succedaneam operam præstare possunt *cucurbitulæ* brachiis, femoribus, revulsionis causâ; collo, derivationis gratiâ; impositæ. Commodissimè etiam scarificantur *auriculæ*, & hirudines iisdem applicantur, quæ & ipsæ hæmorrhoidibus apponi, si earum suppressio in culpâ fuerit, cum maximâ utilitate possunt. *Cucurbitulam syncipiti applicatam* commendat *Zacut. libr. 1. prax. admir. observ. 12.* quod tamen habet ex *Gal. l. 13. m. m. c. 21.* qui cucurbitulam capiti admotam, & scarificatam, quandoq; phreneticos à morte revocasse testatur. Huc quoq; pertinent cucurbitulæ sine scarificatione inferioribus partibus applicatæ; frictions item partium extremarum cum salis momento, & ligaturæ dolorificæ; & quæ sunt alia revellendi potestatem habentia.

LI. Inter ea, quæ ex fonte *Pharmaceutico* petuntur, præsidia, primo loco sese offerunt *Lenientia*, tum per clysteres ano injecta, tum ore assumpta. *Clysteres* quidem maximi per omne tempus morbi momenti auxilium, ex refrigerantium, humectantium, & emollientium miscellâ parati, humorum acrimoniam temperant, alvumq;



vumq; officii sui admonent: Quales parantur ex rad. & fol. altheæ, anagallidis, malvæ, parietariæ, betæ, mercuriali, lactucâ, violariâ, cichorio, sem. hordei, 4. frigid. maj. fl. nymphæ, prunis Damascenis, alijsq; in aquâ decoctis, additâ cassiâ pro clysteribus, elect. lenitiv. simpl. vel diacatholico, elect. de psyllio, de succ. ros. hierâ picrâ, melle rosato, saccharo rubro, syrup rosar solut. ol. viol. rosar, nymphæ, & similibus, cum ovi vitello, salisq; momento.

LII. *Lenientia* per os assumpta, quæ præter dotes evacuandi primas vias, etiam suo modo refrigerant, humorumq; acrimoniam temperant, non minoris sunt usus; quales sunt syrup. ros. & viol. solutivus, cassia, tamarindi, manna; quæ tamen, quia facile bilefcit, aliorum admistione est corrigenda; diaprunum simplex, El. lenitivum, de psyllio, diacatholicum, &c. quibus securè toto morbi decursu licet uti, imprimis ante venæsectionem, si moram dat affectus vehemens.

LIII. Utrum verò hîc etiam ascendere liceat ad *electivè Purgantia* controversum est. Non dubitamus tamen, quin in magnâ cacochymiâ, & ubi materia quasi turgēt (quod fieri ferè solet, quando Phrenitis febrem insequitur) ex sententiâ Hipp. i. aph. 22. periculo, & necessitati sit succurrendum: Lenientibus itaque enumeratis addere *purgantia* mitiora possumus; qualia sunt rhabarb. quod tamen quia siccat & fumosum est, adeòq; facile exhalat, solum non dandum, sed cum aquâ endiviæ, vel viol. est corrigendum, ut rectè monet *Hollerius de morb. intern. l. 1. c. 1.* item senna, tryphera Persica, Elect. ros. Mes. El. de succo rosarum, pilulæ aggregat. aureæ, de rhabarb. Extr. Pil. aur. Extr. rhab. Ubi tamen notandum, convenientius esse, si fuman- tur purgantia in bolis & formâ liquidâ potius; quàm pillulæ majorè exsiccandi vim habeant: Quin & aliquot scammonii sive diagrydii grana cæteris purgantibus acuendi gratiâ possunt addi, quod probat *Avicenna*, & ex eo eum audaciâ imitatus est *Mercur. l. 1. prax. c. 15.* dum unicam pilulam ex trochisc. alhandal. ꝑs & diagryd. gr. iij. confectam, nobili cuidam mulieri Venetæ cum commo- do exhibuit, quòd scil. *multa*, monente *Celso l. 3. c. 18. in præcipiti pe- riculo rectè fiant, aliàs omittenda*: Commendationem hic meren- tur scammonium præparatum & rosatū. Quod si tamen mitioribus, fe- brèq; minus augmentibus, res possit transigi; temerarii hominis esset,

C 3

hujus-



hujusmodi periculosis ludere de vitâ & corio ægrotantis. Adduntur his, maximam partem cholagogis, pituitam quoque respicientia, quod monet Gal. 1. καλ: τοπ: c. 2. qualia sunt agaricus gialapa, & mechoacanna, extractum phlegmagogum *Quercetani* aliaq; *Forest.* cæteris addit diaphœnicum l. 10. observ, 1.

LIV. Solent etiam cum comodo *Glandes*, & *Suppositoria* ad segnioris alvi irritamentum, & materiæ à capite revulsionem adhiberi, parata ex *spec. hieræ picræ*, cum melle & sale, ex pulv. centaur. minor. diagryd. colocynth. portione, stercore muris, aliisq; ejus generis, expultrici stimulum addentibus medicinis: in usu comodo etiam suppositoria oleo colocynthidis illini possunt.

LIV. Purgantibus etsi raro in hoc affectu possunt præmitti *parantia*, quod malum inducias non ferat, si tamen ea locum habere videbuntur, non erunt aspernenda; cum & calidam capitis intemperiem alterare, & febrim infringere queant. Ex pluribus ad hunc scopum facientibus utilissima hinc sunt. lactuca, portulaca, endivia, acetos. fl. ros. nympha, violar. papaver. albi & rhæados; ex quæ his parata aquæ destillata, & syrups; sem. item. 4 frigida majora & minora. Syr. ribium granat; limonum nymphae, aliaque ejus generis. *Campboram* quidam hic summè commendant, sed cum vigiliis, & capitis gravitates inducere possit, non sine cautione erit usurpanda.

LVI. Post *universalium evacuantium* usum etiam ad ea, quæ *particulariter caput evacuant*, & materiam per os & nares, sensibilibiter educunt, progredi licet; *masficari* hinc cum comodo possunt, grana aliquot mastichis, cum passulis, & si quid pituitæ admixtum videatur, quod nonnunquam accidit, aliquot grana piperis vel cubeb. vel cort. rad. cappar. addi possunt; Sed raro in hoc casu obsequentes habemus patientes, ut docet Gal. 13. m. m. c. 21. ex eoq; *Capivaccius* l. 1. de affect. capit. c. 8. Unde commodiores hic sunt *palati inunctiones*, & *sternutatoria, naribus immissa*, parata ex iis, quæ habet *Senn. in Inst.* l. 1. p. 1. sect. 1. c. 18. & *prax.* l. 1. c. 5. & 10. Quibus præmittit *Suffumigium*, ex thymo, pulegio, origano, coctis in aceto *Capivaccius* loc. jam citat.

LVII. Inter *Topica & externa* primo sese offerunt loco, *Repellentia* quæ duplici possunt ægrotos mactare comodo, quod & caput alterent, ne ob immodicam caliditatem promptius humores attrahat; iisq;



his q̄; n̄m̄ium replatur; & simul materiam confertim ad caput fluen-  
tem, dum in vasis minoribus hæret, retrudant, materiamq̄; in vacua  
ejus spatia effusam, in venas remeare, faciant: quod postremum, etsi  
pluribus impossibile videatur, est tamen frequenti experiētiā com-  
probatum dogma, ut egregiè ostendit in utilissimo *de reſto Præsid.*  
*Art. Med. Usa Mercat. l. 2. c. 9.* & constat ex *Hipp. 4. aph. 54.* & *Galen. in*  
*comm. ad cit. loc. & libr. de art. med. c. 85. libr. item 13. m. m. c. 9. & libr.*  
*1. de composit. medicament. per gen. cap. 6.* aliisque locis quam plu-  
rimis.

LVIII. Ejus generis sunt omnia frigida, maximè si frigiditati  
crassities partium jungatur, ut docet *Gal. 5. simpl. 17.* cum hoc modo  
de adstrictione simul participant: nec tamen excludenda cum  
humiditate refrigerantia, quamvis debiliori gradu repercutien-  
di dotes obtineant. Catalogus eorum passim proſtat  
apud Practicos; in nostro affectu *oxyrrhodina* utramque faciunt pa-  
ginam, teste *Gal. 13. m. m. c. 21. & 2. καὶ: τὸπ: c. 1.* quorum etsi com-  
ponendi ratio sit varia, pro subjectorum varietate, & temporis mor-  
bi diversitate; usitator tamen est *Galeno* ex *ol. ros. & acet.* parte quar-  
tâ, ut docet *l. de euporist. c. 1.* Monet tamen *Mercur.* ex *Tralliano*, suf-  
ficere quintam potius aceti partem, ob vigiliarum metum; addit idem,  
in oleo quoq̄; nos debere esse parciores, cum facilè sit, ut inflammato  
cerebro medicamenta oleosa ac pingvia magis flagrent, & consequen-  
ter præsentem cerebri intemperiem adaugeant: Unde ipse postmo-  
dum addit *olei 3is. aq. ros. & decoct. plantag. lactuc. & nymphae*  
partes quatuor, aceti unam *l. 1. prax. c. 15.* Convenit etiam *aq. sperm.*  
*nanarum* in quâ *sacch.* huius fuerit dissolutum.

LIX. Eandem intentionem implere possunt *decoct.* ex *ros. viol.*  
*solano, lactucâ, nymphaeâ, capitibus papaveris,* quibus oleum rosa-  
ceum, maximè omphacinum, quod magis repellit, cum maturum  
alicujus caliditatis sit particeps, cum aceto addi potest. Pertinent huc  
quoque succi & aquæ stillatitiæ, *lactucæ, cucurbitæ, sempervivi plan-*  
*tag. burs. past. folia quercus, bolus Armen. sanguis draconis mastich.*  
*corall. rubra. lingua santalor. aliaq̄; ejus generis infinita, ex quibus*  
*variæ in rem præsentem possunt parari formulæ. Oleum deniq̄; myr-*  
*tyllorum viol. nymph. unguent. rosat. refrigerans Galeni, album cam-*  
*phoratum, & populeon recens (antiquum enim calefacit, ) quod*  
præter



præter vim repellendi etiam somnum conciliare valet. Cataplasma ex portulacâ, rosâ sempervivo, pro singulari experimento à quibusdam commendatur.

LX. In horum omnium tamen administratione videndum; ut debite observentur cautiones ex Gal. aliorumque Classicorum Autorum monumentis depromptæ: quarum 1. est; ne admittantur repellentia, nisi prius præmissa fuerint ea, quæ universaliter totum corpus respiciunt: Cum enim corpore pleno materia retrogredi minimè possit, relinquitur, ut hæc ratione parti eò firmiter impingatur; estque aliàs hoc commune Galeni de omnibus Topicis præceptum, ceu patet passim ex 1. de compos. medicam. secundum loc. & ex 3. de loc. affect. 2. Ut eadè adhibeantur mox in principio, quod itidem docet Gal. l. 6. de med. secundum loca c. 1. & Art. Medicinal. c. 95. atque eleganter triplici ratione id ipsum comprobatur Hieronymus Fabricius ab Aquapendente pentateuch. l. 1. c. 5. 3. Nec eligantur impensius refrigerantia & adstringentia, quippe quæ non raro ex Phrenitide in lethargum præcipitant; quæ de causâ tepidè potius à quibusdam applicantur, ne actuali frigiditate contrarium effectum inducant; quod tamen non ab omnibus observatur; cum quidam in inflammatione legitimâ, si æger sit juvenis & anni tempus calidum, actu frigida adhibeant: Imò Avicenna etiam nive medicamenta refrigerare jubet. Et omnino Galenus quoque, 2. de compos. medicament. hyeme actu calida, æstate frigida applicanda præcipit. 4. Denique ut capilli abradantur, quo vis medicamentorum eò promptius penetrare queat, quod frustra & sine prægnanti causa Asclepiades improbat.

LXI. Quemadmodum autem repellentia hæc rectè parti affectæ applicantur; ita tamen non minus cum magnâ ægroti utilitate atque commode viis, per quas materia sursum ad caput fertur, apponi possunt; ut vi suâ adstrictoriâ aditum ei intercludant. Quò respectu intercipientia & defensoria vulgò appellari solent. Cum itaque per venas & arterias jugulares patens iter sit, ex venâ cavâ, & arteriâ magnâ collo applicare adscendentes vapores refrigerantia, incrassantia, ductusque adstringentia, erit convenientissimum. In quem usum Steegh. l. 12. med. pract. c. 18. laudat oleum nenupharinum, papaver. decoc. solani, lactuc. papav. hyosciami, item unguentum ex bolo, aceto; ovi albumine, & polline farinæ triticæ cum mastiche confe-



confectum; quibusdā etiam magni momenti præfidiū videtur empla-  
strum ex tacamahacā temporibus admotū; Nec tantū viis, per quas  
materia adscendit, sed & parti mandanti ex repellentium & interci-  
pientium sylvā succurrere prodest; unde non aberrabit is, qui hepatis  
regioni, oleum cydoniorum, myrtinum, rosaceum, cum aceto, aut  
epithema ex aq. nymphæ, plantag. rosar. hyosciami, addito sacch.  
hni, & salis prunellæ momento, apposuerit; Utile etiam est empla-  
strum santalinum epatis regioni impositum.

LXII. Repellentibus, & intercipientibus, succentutiantur *Dige-  
rentia* sive *Resolventia*; quæ etsi omnia non parū de caliditate partici-  
pant, per accidens tamen refrigerandi potestatem obtinent, dum ma-  
teriam calidam, parti jam impactam, discutiunt & sub vaporis specie,  
à loco affecto dimovent; ut docet *Gal. 1. de simpl. med. facult. c. 4. & 2.  
ad Glauc. c. 2.* Videndum tamen ne alieno tempore usurpata intem-  
periei augmentum, humorumq; attractioni occasionem præbeant.  
Quod optimè fiet, si corporis plenitudine sublatā, in morbi progres-  
su, cum repellentium admixtione applicentur. Quod *Galenus* est dog-  
ma *l. 6. de composit. pharmac. secundum loc. c. 1.* Quemadmodum, in-  
quit, in principio (morbi) commoda sunt pharmaca, id, quod influit, re-  
pellentia: Sic post principium usq; ad finem, pharmaco opus est ex utrisq;  
misto, repellente videlicet, & discutiente facultate prædito: ac primo qui-  
dem tempore adstringens præcellere oportet, ad finem verò discutiens, in-  
terposito verò tempore æquales utrorumq; partes esse, convenit. Quan-  
do verò velut induratum quiddam de inflammatione relinquitur,  
penitus non convenit adstringens ad discussorium admiscere, siquidem to-  
rum corpus sit evacuatum.

LXIII. Mitiora hîc sunt, adeoq; ex præcepto *Gal. l. 13. m. m. c. 21.*  
primo loco usurpanda, ol. anethi, chamæmeli, malva, serpillum, fl.  
sambuci, malvæ, meliloti, mucilago sem. lini, fœn. græci; lac huma-  
num, vel caprinum, ex alto capiti instillatum. *Valentiora* sunt ori-  
ganum, ruta mentha, pulegium, thymus, hyssopus, stœchas, rad. ari-  
stolochiæ. Inter fortissima recensentur sinapi & castorium, quod *Gal. l.  
11. m. m. c. 18.* in inflammatione intra cranium probat, pulv. etiam  
dictam n. Cretici, colocynth. rad. thapsiæ cyclaminis, euphorbium,  
& quæ ejus generis sunt alia, ad quorum usum in declinatione potissi-  
mum morbi rectè accedi posse censet *Capivacc. l. 1. c. 3. p. 163.*

D

Erater





LXIV. Præter jam enumerata commendatissima quoque; hic sunt columbæ vivæ, aut gallinarum pullastri; aut catuli vivi per medium dissecti, tertiâ quaque; horâ admoti; ut & pulmones arietis castrati, vel agni, aut epata animalium recens mactatorum, quæ utrum discutiendo talia præstent; an verò impetum sanguinis sistendo, dubitationem mereri scribit *Platerus de function. lesion. lib. 1. cap. 3. pag. 169.* cum observârit, hæc talia in hæmorrhagiis, mirabiliter sanguinem è vulnere fluentem represisse. Monent tamen circa horum usum Autores, non esse ad ea accedendum ante statum, quòd observatione ex *Gentili de prompta ostendit Forest. l. 10. observ. 6. in scholiis.* Parant hic quidam ex *cochlearum carne* contusâ cum modico thuris cataplasma, cum ea, ab intimis superfluitatem ad externa evocet, & ita internas partes quocunq; humore gravatas, siccet; docente *Gal. c. 11. de simpl. medicament. facult. circa init.*

LXV. Cæterùm, dum morbo ejusque causæ Antecedenti succurrimus, non negligenda interim *febris*, inflammationis soboles, cæteraque; quæ *symptomatum urgentium* rationem obtinere supra diximus. Ad calorem febrilem temperandum faciunt syrup. de sempervivo compositus Augustan: de succ. acetosellæ, nymphææ simplex, & compositus, de succ. limon. de acetositate citri, acetosus simplex, de rubo Idæo, de fragis; ex quibus cum aquis convenientibus & speciebus cordialibus, ut diamargarito frigid. spec. diatrion. santal. diarhodon Abbat. nitro fixo, &c. Julebi & potiones convenientes parari possunt: Habent & locum conservæ borrag. bugloss. fl. nymph. viol. Tinctura violarum, rosarum, papaveris Rhæados, Psyllii etiam semen, per noctem aquæ infusum, & manè colatum, adjectoq; saccharo epotum intolerabilem febrium calorem placare, ac alvum subducere *Heurnius testatur l. 2. method. ad prax. c. 5. p. 168.*

LXVI. Neque ad qualitates solùm primas erit respiciendum, sed & malignitati, (quæ omnibus febribus, ex ingenti partis nobilioris phlegmone ortis, adscribitur à *Magistro 1. prorrhæ. s. 2. comment. 21. comment 21. & 2. de cris. 7. & 3. epid. sect. 1. præfat.*) erit succurrendum *Alexipharmacis & Corroborantibus*: quod præ cæteris fiet terrâ sigillatâ Silesiacâ & Lemniâ, bolo Armeno, lapide bezoard. Orientali & Occident: C. C. usto, & philosophicè præparat. Magister O C. C. osibus, de C. C. rasurâ ebor, unicornu vero, margaritis, & corall.



rall. preparatis, smaragdo preparato, imo omnibus ferè lapidibus  
preciosis; speciebus cordialibus temperatis; de hyacinth. de gemm.  
frigid pulvere bezoardico Olar. confect. Alkermes, syr. de scorzoner.  
de scord. simplici & composito, & quæ sunt ejus generis alia, faculta-  
ti robur conciliantia & maligniti resistentia. Quibus, quod obiter  
notamus, aliisq; similiter *Alexipharmacis* aliquid ex *Narcoticis* adjun-  
git *Heur. method. ad prax. l. 3. c. 3. p. 165. & 170.* ut eo modo restibili suâ  
qualitate, integras & incorruptas suas vires tandem in eor effundant,  
& simul spiritus effervescentes & indomiti demulceantur, figantur &  
coagulentur: Sed his non esse antè utendum monet, quàm tres, vel  
quinq; menses fermentata fuerint. Idem quoq; fecisse *Platerum* con-  
stat, sed aliâ de causâ, quod sudores *Opium* movendi vim habeat, ut  
scribit *l. 3. prax. tract. 2. c. 13.* Videtis de hac re *Hechstetterum l. 1. obs.*  
*dec. 3. cas. 1.*

LXVII. *Ad calorem febrilem temperandum, & cor corroboran-*  
*dum* etiam *Externa* quædam cordis regioni imposita juvant: Parari  
possunt in hunc finem *Epithemata* ex aq. borrag bugloss. violar. rosar.  
nymphææ, carduibenedict. melissæ, succ. citri, addito pulvere corall.  
aut pulvere ad epithema descripto in dispensatorio *Cord. Spec. diar-*  
*rhod. Abbat. Diatrion santal, diatragacanth. frigid. camphorâ & tro-*  
*chiscis* ex eâ confectis: Additur à nonnullis aqua carbunculi com-  
mendatissimarum, in omni cordis corroboratione, virium, medicina.  
Utile quoq; est acetum rosar. aut de rubo idæo; item unguentum ro-  
sac. cum santallino & populeo permistum; Ol. ros. & stillatitia cum  
corp. pro balsam. in massam traducta; urticæ succum, cum pauco un-  
guento populeo, arteriis illitum, vel ejus folia, cum ol. violar. contusa  
ac admota *Heurnius* summè commendat *meib. ad prax. l. 2. c. 3. p. 170.*  
Vel sacculi ex fl. borrag bugloss. violar. rosar. nymphææ, fol. melissæ  
tunicæ, cum flavedine malorum citriorum, & aurantiorum aceto ro-  
saceo, spiritu rosarum, vel alio liqore cordiali irrorati imponi pos-  
sunt.

LXVIII. Cum porrò inter *symptomata* nullam æqvè urgeat  
ac *Vigilia*, iis cum primis *Somniferorum* legitimo usu, est subvenien-  
dum; idq; primò tentandum mitioribus; cujusmodi sunt *intra* su-  
menda; *Emulstones* ex amygdal. dulc. ac sem. papav. cum aq. ros.  
lactuc. additis speciebus diamargarit. frigid. aut *Julebi* ex Syr. papav.  
violar.



violar, nymphaeae cum aquis refrigerantibus, quod etiam pertinet aqua Hypnotica Dorncreilii; *Extra Epithemata*, ad tempora & frontem, ex decoctione lactuc. porulac. papav. succ. nymphaeae, solani, emulsione sem. papav. albi, lactuc. nucleorum persicorum cum lacte muliebri; Epithema Generale Mynsichti. Epithema item, ex trochisc. rad. Rhod. in aqua fl. persicor. Hypnotica, vel lacte muliebri dissolut. *Linimentum* ex oleo nenuph. & violar. ex trochisc. rad. Rhodiae Mynsichti; *Lotiones capitis* ex decoct. fol. malvae, lactuc. summitatum anethi &c. quorum copiosa satis sylva apud Autores hinc inde extat.

LXIX. Quod si tamen haec mitiora non sufficere videantur, nihil obstat, quo minus ad ipsa etiam *Narcotica*, tanquam ultimam anchoram confugiamus. Cui intentioni satisficient *intro* assumpta Diacodium Galeni, Philonium utrumque, Requies Nicolai, Elect. Opiatum Plateri, ejus pilulae & tabulae Narcoticae, trochisc. Narcotici Fernel. pilulae de cynoglossa, Narcoticae Dorncreilii & S. Alberti, aqua Hypnotica Dorncreilii, aqua Hypnotica & Narcotica Mynsichti, pharmacum phantasticum Bartoletti, Laudanum Opiatum rite preparatum, (quale est Mynsichti vel Hartmanni) ultimum quoque, asylum, cum appropriatis exhibitum. *Extra* vero unguentum populeon recens, cui aliquid opii, Thebaici admistum, temporibus & narium pinnis (rectius quam fronti, censente *Lang l. 1. ep. med. c. 10.*) inungi potest; aut fiat linimentum, ex ungu. rosac. alabastrin. cum pauxillo opii aut laudani opiati, erocique momento. Videndum tamen ante omnia, ne negligentur cautiones circa Narcoticorum usum observandae; quas praeter alios habet *Forest. l. 22. obs. 17. & Senn. l. 1. prax. part. 2. c. 1. & l. 3. part. 2. f. 2. c. 2.*

LXX. Cum saepe *Urinae* quoque contingat *Suppressio*, quod propter mentis abalienationem aegri mingere obliviscantur, nec stimulum urinae sentiant; ne partes circa vesicam a retento lotio nimium distentae inflammationem patiantur, ei quoque idoneis remediis erit subveniendum; partim subinde monendo aegrotum, eundemque ad mictionem invitando; partim fovendo pubem & perinaeum emollientibus, laxantibus, atque urinam provocantibus. *Galenus l. 1. de loc. affect. c. 1.* laudat praeprius aquae calidae fotum comprimendo simul manu vesicam; quod longe melius procedet, si adhibeatur decoct.



coct. fl. parietar. malvæ, petroselini, apii subsequente postmodum  
inunctione, ex unguento dialtheæ, quod longo usu est comproba-  
tum, aut unguent. ex pingvedine cuniculi, ol. scorpionum simpl.  
sem. lini. sem. apii, petros. additâ paucâ cerâ.

LXXI. Solent & hic à proprietate huic affectui dicata à mul-  
tis commendari; Radicem nymphææ luteam mense Majo Luna de-  
crescente effossam, & cum aceto præparatam, in pulvere quidam cum  
in hoc affectu, tum in Maniacis miris evehunt laudibus; alii deco-  
ctum anagallidis fl. purpureo in hoc affectu propinant: sunt qui radi-  
cem bryoniæ, aut hypericum collo gestatum, summoperè commen-  
dant; alii succum ex cancris contusis expressum cum petiâ tempori-  
bus, & fronti applicant, & quoties exsiccat, renovant. *Chymicis* in  
usu est tinct. & Magisterium, Corall. Gelatina & Magisterium cranii  
humani, tinctura Smaragdi & lapidis Lazuli, ol. panis, liquor item  
D,  $\Delta$  & Tinctura Dnæ, quinta perlarum essentia descripta ab *Ans-  
helmo Boëthio à Booth. l. 2. de gemmis c. 38.* Essentia fl. Hyperici, ana-  
gallidis fl. purpureo, Rad. Nymphææ & tinctura composita fl. Hype-  
rici Mynsichti; Magisterium hni, crystalli ex minera hni; Spiritus vi-  
ridis æris, Oli volatilis & philosophicus, &c. De quibus Petrus  
Disput Harmon. 2 §. ult. non tam in iis qualitates, quàm virtutem  
arcani specificam & proprietatem intrinsecam spectandam esse  
monet.

LXXII. Agmen deniq; claudunt ex fonte *Diatetico* hausta  
auxilia; In quibus *Ær*, qui debet esse temperatus, aut modicè potius,  
ad frigiditatem inclinans, quem si natura deneget, ars corrigat, spar-  
sis per pavementum cubiculi plantis refrigerantibus fol. videl. salicis,  
vitis, fl. rosar. nymphææ; aquâ frigidâ de vase in vas infusâ, linteis  
aqv. rosar. aut etiam frigidâ madidis in cubiculo suspensis: non  
degant ægroti in conclavi nimium lucido, cum lux nimia mentem  
distrahat, spiritusque dissolvat; nec etiam planè obscuro, cum te-  
nebræ terrorem incutiant; removeantur picturæ & imagines, ne spe-  
ctorum multitudine phantasia conturbata insomniorum delirio-  
rumq; vehementium causa existat; Rejicitur quoq; adspectus rerum  
rubrarum, & aliarum lucidis coloribus præditarum, cum indè spiri-  
tus commoveantur, qui mobiliate sua humoribus ad caput attrahen-  
dis occasionem præbere possunt.

D 3

Cibus.





LXXIII. *Cibus* refrigerandi, humectandiq; dotibus polleat, qualem alias febricitantibus commendat *Hipp. l. 1. aph. 16.* Utilissima sunt hordeacea omnia; avenæ cremorem extollit *Trall. l. 1. c. 13.* Acetosæ folia cocta cum butyro gratissimum præbent cibum cordi & capiti; Panis intinctus in vino granat; aut succo citri; poma item citria in orbiculos dissecta & aquâ rosar. adpersa à plurimis commendatur. Reliqui cibi condiantur lactuca, endiv. portul. acetos. cichor. sem. frig. maj. succo uvarum immaturarum succ. citri acet. aqv. rosarum; Cerasa acida, ut & pruna Damascena, ipsis permittantur, quæ & alvum laxant, & mediocriter refrigerant, & humectant, *Carnes* in initio morbi damnantur, utpote tenuis victus rationem excedentes; in declinatione tamen, aut nimio virium lapsu admittuntur, maxime pullastrorum gallinaceorum & vitulinæ; abstinendum à *Columbis*; quas, quod vesiculâ biliariâ destituantur, carnem habere pravam, & succo bilioso generando aptam, scribit *Montanus*; Damnat etiam carnem columbinam in affectibus capitis *Vega citante Sennerio in instit. l. 5. p. 1. s. 1. c. 4.* cui tamen alii strenuè contradicunt. Conciliare in speciem disidentes sententias conatur *Zacut. Lusit. l. 2. de Med. Princ. Hist. dub. 32.* Ex piscibus saxatiles admitti possunt, qui alimentum præbent, non tantum facile concoctu, sed & vescentibus saluberrimum teste *Bruyerino de re cibar. l. 19. c. 4.*

LXXIV. *Potus* in adsvetis sit aqua frigida, nisi obstant ea, quorum mentionem facit *Senn. l. 2. de febr. c. 9.* Addi potest acetum, aut Julep, rosar. & viol. Utilis quoq; est aqua hordei cum passulis, aut emulsio ex sem. 4. frigid. major. additis sem. papav. si somno magis studere velis: Nostris etiam hominibus satis conveniunt *Cerevisie* hordeaceæ tenues. *Vinum*, in primis generosum, cum caput suo vapore tentet, nervos convellat, viscera inflammet, humores agitet, sicq; biliosum humorem Phrenitidis causam exacerbet, ut loquitur *Zac. l. 7. prax. hist. c. 4.* maxime est fugiendum; ceu patet etiam ex *Gal. l. 1. ad Glauc. c. 13.* & *Hipp. l. 1. de morb. acut. 3.* Unde *Cælius Aurelianus, vinum propinare phreneticis, idem esse ac venenum iis dare* prodidit: Est tamen, quando in declinatione morbi, in virium lapsu, & syncopes metu, propinamus ὀλιγοφόνον, non repugnante *Hipp. 3. acut. t. 41.* cum teste *Trall. l. 1. c. 13.* & *Paulo l. 3. c. 6.* somnum conciliet, cibi coctionem



mem & distributionem promoveat, vires labascentes refocillet, ferocitatem corrigat, & hilaritatem inducat.

LXXV. *Quoad reliquas res non naturales cum Somnus auxilium sit, tum in multis aliis, tum in hoc potissimum affectu supra gemmas & aurum æstimandum, ut loquitur Senn. l. 1. prax. part. 2. c. 1. is omnibus modis est conciliandus, inducto in hunc finem cantu svavi, musicaq; concentu grato delectante, nec tamen sonoro nimium, à quo gravissima inducuntur symptomata, teste Foresto l. 15. observ. 4. sebol. susurratione submissè loquentium, aquæ in pelvim per gutturnium stillantis sonitu, imò etiam medicamentis, quorum supra facta fuit mentio.*

LXXVI. *Motus nimius omni conatu est inhibendus secundum Trall. l. 1. c. 13. quod & corpus exagitet & exsiccet, vires dejiciat, somnum impediatur, agrosq; ad corporis gracilitatem deducat, teste Galeno 2. aph. comment. 28. Unde si non aliter in quiete Phreniticos continere licet, etiam vinculis, paulò tamen laxioribus, eos coercere satius est; quàm ut nimio motu eos virium lapsum promoverent, aut etiam adstantibus paulò incautioribus nocere permittamus.*

LXXVII. *Animi quoque perturbata & commotiones vehementes, quantum fieri potest, removeantur; quod omnium optimè fiet, si quàm mitissimè tractentur, si iis non nimium repugnetur, si deniq; ex adstantibus illi admittantur, qui ipsis sunt gratiores, & ad eorum ingenua melius se accomodare possunt.*

LXXVIII. *Ultimo deniq; loco ad Excreta & Retenta est respiciendum, videndumq; ut singulis diebus alvus respondeat; cum faeces retentæ, putridis vaporibus & exhalationibus subindè ad caput ascendunt, mirum in modum ad morbi augmentum faciunt.*

Unde non solum cibi alvum lubricantes erunt suppeditandi, sed & clysteres ad normam in pharmaciâ descriptam injiciendi.

DEO SOLI HONOR, GLORIA  
ET GRATIARUM ACTIO.

COR-



COROLLARIA.

EX *ἄπονοπία* in Capitis quibusdam affectibus utiliter signa de-  
promi possunt.

II. Qui in virium lapsu, ubi per os cibos assumere non licet Odo-  
ribus, ut & Emplastris, & Clysteribus suam relinquunt locum, rectè o-  
mninò facere videntur.

III. Ad Topica aliquando, etiam non præmissis universalibus,  
accedere licet.

IV. Non sine causâ à gravissimis Medicis damnantur composi-  
tiones quorundam, citra necessitatem ad Theriacalem usq; molem ex-  
structæ.

V. Qui spiritum Oli & Magisterium Perlarum pro venenis repu-  
tant, adeoq; vel hoc argumento Chymiam exosam reddere conantur,  
planè refutationis scuticâ digni videntur.

---

*Ad doctissimum Dn. Respondentem.*

**Q**uæ te complexu dulci nutrit Hygeia,  
Huic gratus partim munera digna refers.  
Perge modò Medicos non fastidire labores;  
Sic, Lonchine, tibi gloria parta manet.

J. M. D. Præses.

---

**Q**uam, Spiessî, multo studio, & pernicibus alis,  
Et nisu assiduo, quæq; suprema petis!  
Regia vis animi hæc, & multâ laude vehenda.

Quid multa? Applaudunt tota theatra tibi.

D. Godfried Welsch/  
Prof. Publ. & Medicin.  
Facult. Assessor.

F I N I S.



Leipzig, Diss., 1645/49

ULB Halle 3  
003 265 218




Sb.


WMA











B.I.G.

Farbkarte #13

MEDICA  
TIDE,

1648, 3

21

L. A.  
*usu Amplissimi  
Collegii,*

LDIO  
*ellentissimi, atq;  
mi,*

MICHAELIS,  
ut. P.P. Facultatis suæ  
cemviri, Collegii Utriusq;  
tenburgici Archiatri,  
notoris sui ata-  
di.

*ni subjicit*  
US Spieß/

sis.  
*ulti.*  
onsvetis,

E,  
CHIANIS.  
VIII.

